



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Eco, Mundo
et Homine, Gispe 1719.
2. Baumgarthen / Sigism. Jac. diff. ad
verba Rom. 1. V. 4. Halle 1738.
3. Beumler, Marci. diff. in de libero natura
Tiguri 1797.
4. Gessneri Salam. theses de Sacramentis
in genere, Wittenbergae 1596.
5. Hartmann Joachimi. diff. sive pars Vati-
ciniu[m] Simeonis. Rostockij 1744.
6. Heilbrouner phil. diff. proponen;
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauing 1797.

Disputatio

DE ΛΟΓΩ ΣΕΥ ΦΙΛΙΟ ΔΕΙ

ex i. cap. Iohannis desumpta, strophisq; & calumnijs
Samosatenianorum nec non Arianorum
opposita;

AD LUVIA M,

Fuuante eo cuius causa agitur,

SUB PRÆSIDIO

REVERENDI

ET CLARISSIMI VIRI,

DN. STEPHANI GERLACHII, S. S. THEO-
logia in Academia Tubingensi Doctoris ac Professoris celeberrimi, pro-
tempore Rectoris Magnifici, Praeceptoris sui honorandi, exercitij
gratiâ regâ τὸ δύνατον, in Aula noua ultimo
die Martij, hora sexta, respon-
debit

M. IOHANNES VIETOR

Alsfeldianus, Hessus.



T U B I N G A,
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO 1598.

*Suo collego et amico Dr. Al. Eberhardi
et aliis. A. Med. C. adiuu. bruder*

ILLVSTRISSIMO,

SAPIENTISSIMO QVE PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO LUDOVICO, SENIORI,
Hassia Landgrauio, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain,
& Nidda, &c. Dominomeocle-
mentissimo.

MULTI sunt in ea opinione, Princeps Illustrissime, Domine clementissime, nefas esse de Deo Trinitatisq; mysterio Scholaisticas instituere exercitationes ac συζητήσεις, eò quod, D. Hilario teste, Deus hoc sit, quod cùm dicitur, non potest dici; cùm aestimatur, non potest aestimari; cùm definitur, ipse sua crescit definitione; eaq; de causâ Sacratissimum etiam Principem Iustinianum peculiari lege cauisse, ne quis de S. S. Trinitatis mysterio disputet aut contentiones moueat. Hinc respondere videtur D. Ambrosius l. i. de votat. gent. c. 7. cùm inquit: Quæ Deus occulta esse voluit, scrutanda non sunt; quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda; ne in illis illicitè curiosi, in his verò damnabiliter inueniamur ingrati. Innuens, tantum abesse, vt piæ ac sobriæ de Deo in Scripturis S. fundatæ improbentur collationes, vt potius in grata illam negare videantur doctrinam, qui molesta sua taciturnitatis modestia sicco pede eam præterire gestiant. Curiosas verò extra Verbum diuinitùs reuelatum quæstiunculas, speculationsq; Philosophicas ab Ecclesia Dei alienas esse debere, nemo (vt opinor) ibit inficias. Hæc cùm ita se habeant, minùs αἰδολόγως me facere existimabam, si præsentem materiam, de æterna diuinitate Αόγε seu Filij Dei, secundæ personæ Trinitatis, aduersus impias Arianorum & Samosatenicorum tam veterum quam recentium corruptelas & calumnias, publicæ disputationi, ad declarandos qualescunq; studiorum meorum fructus, quorum gratiâ ex illustri Marpурgo ad exteris Academias me missum intelligebam, proponerem. Illud quicquid est, Illustriss. V. C. dedicare visum fuit, gratissimi vt esset indicium animi, pro ingentibus illis beneficijs, quibus Illustriss. C. V. me clientem suum, indignum, studiaq; mea hactenus est prosecuta; rogans humilimè, clementi yultu hunc studij mei Theologici fœtum vt adspiciat, eiusq; tenuitatem gratiæ & clementiæ suæ magnitudine subleuet; in posterrum etiam benevolentia suâ conatibus meis clementissimè nunquam nō adesse ne dedignetur. Deus tēr Opt. Max. C. V. venerandam canitiem, in Ecclesiæ suæ commodum & emolumentum, quam diutissimè proroget, sospitet, beat. Huic Vni & Trino soli Deo, Illustriss. V. C. me verò vtriq; commendo quam humilimè. Script. Tubingæ, 25. d. Mart. An. incarnationis 1598.

Illustriss. C. V.

Subiectissimus

M. Iohannes Victor,
Hessus.

I.

DE ΛΟΓΩ ΣΕΥ FILIO DEI, CON-
TRA SAMOSATENIANOS ET
ARIANOS.

THEISIS I.

MEMORABILIS ESTILLA SEN-
tentia Christi, Matth. II. v. 6. Beatus quisquis
non fuerit in me offensus; parum verò aut nun-
quam ab ijs ponderata, qui blasphemis suis doctri-
nis, de hoc ipso Christo eiusq; persona & naturis, Ecclesiam Dei
fædissimè quouis tempore dilacerarunt & conspurcarunt.

2. Quorum sanè ex numero præcipui olim fuere Paulus
Samosatenus & Arius, eorumq; Sectatores, aliquot adhuc Eu-
ropæ locis blasphemо ore impiam Patriarcharum suorum doctri-
nam eructantes.

3. Quodetsi non iisdem semper tentauere machinis; in eo
tamen nunquam non conuenerunt, ut æternam Christi ad or-
cum condemnarent diuinitatem.

4. Ideoq; more planè sophistico clarissima Scripturæ S. testi-
monia, quorum præcipuum ferè in Ecclesia semper fuit habitum
i. Caput Euangeli Johannis, in alienum ac impium, variumq;
interdum, Proteorum instar, detorsere sensum.

5. Quibus à corruptelis ac depravationibus hereticis, cùm
diuinissimam illam Ioh. Euangelistæ doctrinam disputatione
hac σὺν Θεῷ simus liberaturi; etsi balbutiendo tantis in mysterijs
illud nobis faciendum, balbutiendo tamen, ut Bernhardus
monet, magnalia Domini etiam resonare debemus.

6. Primò igitur, antequam nostram agamus causam, gu-
stum priùs aliquem sententiae aduersariorum, Samosateni &
Arij, exhibebimus.

7. Annus agebatur Christi 270 circiter, quando monstrum
illud Antitrinitarium, P. Samosatenus, Episcopus Antioche-

A 2 nus,

nus, impiè docere cœpit; Ita vnum esse Deum, vt nulla in eo sit
 „admittenda personarum realis distinctio, Christum verò com-
 „munem fuisse hominem, in quo Verbum Patris habitauerit, si-
 „cut in alio quouis propheta: tantùm excellentiori modo in eo ope-
 „ratum esse: ideoq; non naturâ, sed propter unctionem gratiæ nec
 „non Sanctificationem, Deum quendam temporalem esse, qui
 „ante incarnationem non nisi idealiter in mente D E I exti-
 „terit.

8. Videns verò plurimū se urgeri Iohannis testimonio,
 varias eius commentus est corruptelas; Λόγος in hoc cap. non
 personam denotare, sed Ideam quandam & propositum in men-
 te patris, secundūm quod, architecti instar, omnia considerit,
 tandemq; iuxta decretū illud natum esse ex virginē Christum.

9. Recentiores eius sectatores hisce non contenti; per Λόγον
 apud Iohannem ipsum intellexerunt Christum nudum homi-
 nem, qui sic dicatur, non propter naturam aliquam diuinam,
 sed per accidens, quatenus mandatorum paternorum sit pro-
 locutor, nobisq; voluntatem patris Euangelio reuelarit.

10. A R I V S autem Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, cùm in
 Antiocheno Concilio Samosateni doctrinam damnari videret,
 aliâ viâ Θεομαχίαν illam aggressus est, circiter annum Domi-
 ni 320.

11. Nam Λόγος illum apud Iohannem personam & natu-
 ram diuinam subsistentem significare concedebat: quæ non so-
 lùm ante incarnationem, sed etiam ante creationem reliquo-
 rum omnium extiterit: attamen vt οὐσία καὶ τόποι μα ἐξ ὅντων,
 hoc est, vt creatura quædam, omnibus creaturis alijs propter
 naturam & officium, longè præstantior; Deus verò quod natu-
 râ fuerit, aut ex substantia Patris genitus, eique consubstantia-
 lis & coæternus, pernegabat strenue.

12. Eamque ob causam similiter Iohannis Euangelium im-
 p̄ys

pijs corrumpebat glossamatibus, quæ ut maximè in quibusdam
dissentirent à Samosatenicis, in plurimis tamen ijsdem erant
quām similima, sicut infrà videbimus, & ex ipsius Arij Epist.
la ad Eusebium Episcopum Nicomediensem in Trip. hist. l. I. cap.
15. manifestum est.

13. Hæc igitur sunt egregia interpretum istorum specimina,
de quibus meritò dicendum illud, quod Hieronymus olim Epist.
ad Ctesiphont. contra Pelagianos scripsit: Sententias vestras
prodidisse, est superasse; Patet prima fronte blasphemia, non ne-
cessè habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum
est.

14. Scientes tamen S. Scripturam non esse priuatæ inter-
pretationis, 2. Pet. 1. v. 20. memoresq; Apostolicæ traditio-
nem obturandum esse os contradicentium, Tit. 1. v. II. quomodo
analogia fidei, limpidisq; Israclis fontibus pronunciata illa hæ-
reticorum corresponteant, inquiremus paulò diligentius.

15. Quantum verò ex præcedentibus patet, Zήτημενορ di- Status Con-
sputationis huius seu controværsiæ status hic est; An ΛΟΓΟΣ
ille, de quo Iohannes agit, sit verus, æternus, naturâ nec
non υπόσαρι Deus?

16. Vbi duo queruntur; 1. An Λόγος ille ante incarnatio-
nem reuera ut υπόσαρι ac persona quædam extiterit? 2. An
persona illa verè diuina sit, hoc est, naturalis & æternus
Deus?

17. Vtrumq; negant Samosatenus, Photinus, Seruetus, reli-
quiq; moderni eorum Sectatores. Posterius verò tantum cum
suis impugnat Arius.

18. Nos antequam vtriusq; propugnemus affirmatiuam;
terminorum præmittemus declarationem.

19. Per Λόγον intelligimus non sermonem aliquem acciden- Expositio
talem aut in auras euanidum, neque etiam Ideam aliquam, seu termino-
rum in quæst. posi-
torum.

propositum Dei ἀνθρώποι, nec etiam simpliciter Christum, qui, ut Χριστός ἄνθρωπος seu nudus homo, Λόγος dicatur propter officium tantum prædicationis Euangelicæ.

20. Sed intelligimus secundam personam diuinitatis, quæ est Filius Dei, ab aeterno à Patre genitus, in plenitudineq; temporis in mundum missus & homo factus, quò Euangelium ex sinu Patris nobis reuelaret & illustraret, victimaque fieret pro totius mundi peccatis.

21. Vbi notandum, personam hanc vocabulo isto non à Iohanne tantum, ut volunt aduersarij, sed etiam à Prophetis in V.T. indigitari, ut Genes. 1. Psal. 33. v. 6. Quamuis quæ in V.T. obscurius de eo dicta fuerant, à Iohanne explicitur clarius.

22. Porrò, cùm ὄντοςip̄ seu personam nominamus, non qualitatem aliquam vel laruum histronum intelligimus, sed substantiam individuam, intelligentem, verè & per se subsistentem, incommunicabilem, quæ non sustentatur vel in alia vel ab alia.

23. DEI vocabulum ὄμωνυμον quidem est; quomodo tamen hāc disputatione accipi velimus, ipsa prædicati determinatio in quæstione posita satis innuit.

24. Hisce iam præmissis, institutum nostrum probandum est; Esse nimirum Λόγον illum personam subsistentem, quæ sit verus & aeternus Deus

I. Argumentum ex v. 1. In principio erat Verbum.

25. Et quidem primò, ex 1. v. 1. cap. Ioh. sic colligimus: Λόγος est ab aeterno, Ergo verus Deus est. Antecedens confirmatur ex Euangelistæ verbis: In principio erat Λόγος; quæ phrasis indicatio aeternitatis est, innuens Λόγον in principio illo fuisse, quo cœperunt tempus, creataque omnia. Ante omnes igitur creaturas, hoc est, semper & nunquam non fuerit necesse est.

26. Vnde & contra Arium sic inferimus: Λόγος est ante omnes creatureas; Ergo creatura esse nequit. Antecedens constat ex Apostolo Paulo, Col. 1. v. 15. ubi appellatur ωραῖος θόνος (νόπερ τόντισος) ωραῖος οὐσίως, hoc est, primogenitus omnis creature. Esai. 9. v. 6. Pater aeternitatis dicitur. I. Iohann. i. & s. vita aeterna. Heb. 7. v. 3. sub typo Melchisedeci, nec initium dierum nec finem habere dicitur. Et quomodo creatura erit ille, qui creauit omnia? quod ipsum demonstrabitur paulò post.

27. Augustinus tract. i. in Ioh. eleganter scribit: Quid ait Euangelista? In principio erat Verbum. Si erat, non est factum, ut ista omnia per ipsum fierent & sine ipso nihil.

28. Quid ad hæc verò Samosatenici? Ex falso suo principio: Per Λόγον Christum intelligi ut communem hominem, omnibus tamen creaturis alijs excellentiorem; quascunq; restes fingunt. Ita enim ex recentioribus Paraphrastes illorum in Iohannem annotat.

29. In principio; sc. prædicati à Christo Euangeli; huius enim determinationis esse vocem ὁ χεὶρ seu principiū in omnibus ferè N. T. locis, ubi de Christo agitur, ut Ioh. 15. v. 27. Vos estis mecum à principio; Marcum etiam & Lucam eādem voce, eodemque sensu sua ordiri Euangelia; similiter accipi Act. 11. v. 15. & Ioh. 1. v. 1. quæ de alio principio quam prædicati à Christo Euangeli; intelligine queant.

30. Erat apud Deum. Proh Deum quam cauteriat & conscientiæ hic audias ab ijs expositiones?

I. Inquiunt, sic exponi posse: Erat sc. præordinatione, præmissione, typis & figuris.

II. Erat apud patrem sc. edoc̄tus & sanctificatus.

III. Erat, h. e. Christus nobis Λόγος esse cœpit, quum Euangeliū ex sinu Patris nobis attulit.

IV. Erat apud patrem h. e., in principio illo prædicati
Eu-

*Euanđeliū erat soli Patri notus; hominibus autem ut Messias
tum adhuc ignotus. Ideoquē Iohannem Baptistam dixisse Ioh. i.
v. 31. Ego non noueram eum, & v. 26. Stat in medio vestrum,
quem vos nescitis. Vbi in primis operose probant; Esse apud
aliquem, idem significare, quod alicui soli notum esse.*

31. Nos quid hīc dicemus aliud, quām illud cum Basilio Ho-
mil. in princip. Euāngeliū Ioh. Vtrūm impietatem horum defle-
am, an verò inscitiam potius horream? Euāngelium (addit.)
audi: In principio erat; quōd si erat in principio, quando non
erat? &c.

32. Vocabulum autem Principij quod attinet, non diffite-
mur, illud esse ambiguum & multiplicis pro ratione locorum
significationis.

33. Iam quicquid variarum significationum capax est, id
ex loco ipso circumstantijsquē eius, ubi sedem habet, determi-
nari & explicari debet, non ex alijs locis, nisi re & analogia
idem dixerint.

34. Proinde constanter negamus, vocem ἀρχὴν seu principij,
eiusdem determinationis esse locis suprà allegatis (posteriore ta-
men, i. Ioh. i. v. i. excepto) cuius est hoc in loco Euāngeliū Ioh-
annis.

35. Hic enim de Λόγῳ absolutè agitur, & de eius ESSE,
quis fuerit ante incarnationem, & antequam diceretur, Chri-
stus homo: Illic verò de relatione temporaria.

36. Adhac si Λόγος vita eterna Λόγος est, imò ipsa vita eter-
na; &, si cum Deo patre creauit omnia; ab eterno quoq., ut De-
um, illum fuisse necesse est.

37. Verba i. Ioh. i. v. i. de eodem, quo hoc in loco, intelli-
genda esse principio, damus liberaliter. Quōd verò dicit, Apo-
stolos Λόγον illum, qui fuit à principio, vidisse ac manibus con-
trectasse, id de Λόγῳ non simpliciter sed incarnato accipiendum
dicimus.

dicimus. De hoc enim propter naturarum diuarum diuinae & humanae Unionem, nec non Idiomatum communicationem (quam Diabolico ore hæretici isti Satanae inuentum nuncupant) ita loquitur.

38. Ex quibus omnibus nunc apparet, quam ruinoso posita sint fundamento reliquorum verborum expositiones; Erat apud Deum.

39. Primam enim quod concernit, et si non negemus, Christum ut Messiam fuisse præordinatum, promissum, varijsq; typis ac figuris in V. T. repræsentatum; nihil tamen ad rem facit hoc in loco, ubi Λόγος absolutè sine assumpta humanitate describitur.

40. Num n. ut διυπόσατον se reuera non subsistens quid, fuit antequam esset Abraham? Ioh. 8. v. 58. Aut num in typis tantum & promissionibus Iohannem Baptistam præcessit, quem ut homo alias secutus est? Ioh. 1. v. 15. Siquidem & Ioh. Baptista præmissione ac præordinatione fuit in Testamento veteri Malach. 3. v. 1. Nec etiam lapides sustulissent Iudei, nisi Christus seipsum fecisset Deum dicendo, Ego & Pater unum sumus. Ioh. 10. v. 30.

41. Secunda expositio; Erat apud Patrem, sc. edocitus & sanctificatus; falsa est de Christo, cuicunq; etiam eius naturæ, tribuas.

42. Nam ut Λόγος seu secundum diuinam naturam, quā Patri equalis est, nec sanctificari nec doceri potest; nec etiam ut homo simpliciter est edocitus vel sanctificatus, in principio demum illo prædicati à se Euangeliū, cùm ab ipsa statim conceptio ne in utero matris sine mensura Spiritum S. acceperit, Ioh. 3. v. 34. Luc. 1. v. 35.

43. Tertia eidem erroris insistit linea, Λόγος erat h. e. Christus nobis Λόγος esse cœpit. I. Quia sine autoritate & ratione
B

ratione Scripturæ id dicitur. II. Pugnat cum textu; ubi simpliciter de Verbo dicitur: In principio erat: Et erat apud Deum. III. Verbum nobis fuit antequam ut homo prædicaret Euangelium, quod suprà probatum est.

44. Quarta, quam ut genuinam urgere videntur, facile etiam dissoluitur. I. Falsum, quòd in principio illo prædicati à se Euangeli⁹ Deo Patri tantùm notus fuerit. Ante Baptismum enim, Mariæ, Zachariæ, Iosepho, Simeoni, Anna, Magis, Pastoribus, &c. reuelatione diuina ut Messias fuit cognitus.

45. II. Deinde in ipso Baptismo, ubi prædicare Euangeli⁹, nobisq; (secundùm Samosatenianos) Λόγος esse cœpit, non solum Deo Patri, sed etiam Iohanni notus fuit, Matth. 3. v. 14.

Quòd verò dicit Ioh. 1. v. 30. non noueram eum; Id de facie & secundùm carnem ante Baptismum intelligimus, in quo eum ex cœlesti indicio cognouit, sicut legimus in eodem cap. I. Ioh. v. 33.

46. III. Απαδέντως & ineptè dicitur; apud aliquem esse, significare, Esse alicui soli notum; cùm homines alij apud alios esse possint, & tamen non his tantùm noti apud quos sunt; Et nouisse aliquem quis potest, qui tamen præsens non est.

47. Quomodo igitur Λόγος erat apud Patrem? Non certè, ut dictum est, præordinatione duntaxat & promissione, aut in Ideâ, nec etiam locali aliquasessione, tempus & locum ad existentiam sui requirente. Erat enim Λόγος apud Deum Patrem, antequam hæc essent condita.

48. Sed potius Λόγος apud Deum Patrem ab aeterno fuit, tanquam Persona apud Personam: (idem enim ἡ̄ hic notat quod υφίσατο) & quidem summo eminētissimoq; præsentia gradu, in unitate nimirūm essentiæ. Vnde in Patre, & in sinu Patris es- edicitur, Ioh. 1. v. 18. Ioh. 14. v. 10.

II. Argumentum ex v. 1. Deus erat Verbum.

49. Vocabulum Dei ωλύσημορ esse & æquiuocum extra
con-

controversiam est; ideoq; ad hunc modum confirmationem instituimus. Λόγος aperte Deus dicitur. Ergo Deus est vel reuera, vel nuncupatiū tantūm & equiuocē.

50. Et quidem hoc posterius assumunt, tūm Samosateniani, tūm Ariani, Christum videlicet Λόγον, equiuocē Deum dici, ratione sanctificationis, honoris, potestatis, gloriae & maiestatis, a Deo Patre autore omnium, acceptā. Vbi elogia illa, propter quae Deus dicatur, sesquipedalibus verbis cumulant; non secus facientes, ac si quis hominem iugulet, & postea operosè ornnet Imaginem ipsius.

51. Ex remotione autem priorum Dei sic illi colligunt:

Qui propriè & uniuocè Deus est, is à nullo est factus, nec constitutus, nec electus, nec præordinatus, nec sanctificatus à quoquam, non exaltatus, nec alio etiam inferior &c.

Atqui Christus secundūm Scripturas, est factus, constitutus, &c.

Ergo propriè & uniuocè Deus non est.

52. Ad quæ singula et si responderi posset: nihil tamen breuitatis studio reponimus aliud, quam regulam illam perpetuo Scripture tenore, antiquitateque puriore confirmatam: Eorum, quæ in Scripturis de Christo prædicantur, alia prædicātur de Persona eius secundūm naturam diuinam, alia secundūm humanam solum, alia deniq; secundūm utramq; simul.

53. Posita verò de diuinitate τῆς Λόγου assertio, non est commentum Antichristianum, (sicut calumniantur heretici) quo Christiana fides de unico vero Deo, qui sit SOLVS Pater, funditus euertatur.

54. Vnum enim verum Deum, & quidem numero & essentiā vnum, Ecclesia verè fidelium nunquam non affirmauit. Ita verò unicum Deum essentiā semper credidit, qui secundūm

Scripturas Personis Trinus sit, Pater nimirum, qui ab aeterno genuit Filium, qui dicitur Λόγος, & Spiritus S. ab utroq; procedens. Et sic Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, Catholica & SS. Scripturarum autoritate veneratur: quemadmodum habet Symbolum Athanasij.

55. Quid enim aliud innuitur, quando Deus de Deo, Iehoua de Iehoua loquitur, Genes. 19. v. 24. Ierem. 23. v. 5. 6. Hos. 1. v. 7. quam ut eo ipso Personarum in Unitate Essentiae indicetur pluralitas?

56. Et ne quis Personas illas putet esse innumerabiles, Scriptura illas diserte exprimit, Psal. 33. v. 6. Matth. 3. v. 16. 17. in Baptismo Christi. Matth. 28. v. 19. in Baptismi institutione. Ioh. 15. v. 26. Cum venerit Paracletus quem ego mittam a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. 1. Ioh. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Sanctus Spiritus; & hi tres unum sunt.

57. Quibus testimonijs Trinitas non solum Personarum, Sed & earundem distinctio, eaq; realis (non tamen essentialis) nomina item, clarissimè euincuntur.

58. Licet autem haec tam manifesta sint, ut vel Solis radio scripta videri possent, sicut Tertullianus loquitur, ita tamen occaecati sunt heretici, Philosophicisq; speculationibus turgidi, nihil plane ut videant. Vnde fit, ut Platonizando nimium (quod aiebat ille) piscatoriam perturbent simplicitatem, eamq; assequantur minimè.

59. Ceterum quod Solus Pater, verus Deus dicitur Ioh. 17. v. 3. & 1. Corinth. 8. v. 6. certissima ibi est antiquitatis regula: Quando diuinitas opponitur creaturis seu Idolis, tunc una Persona nominata non excludit alteram ab opere diuinitatis; Cum vero diuinitas sine respectu creaturarum ad intra, ut loqui

qui solent, describitur, manifestè exclusuare iicitur, ut Ioh. 16.
v. 32. Ego non sum Solus, quia Pater mecum est. Et v. 15.
Omnia quæcumq; habet Pater, mea sunt, &c.

60. Ad locum I. Cor. 8. verbis Ambrosij respondemus: Sicut dicendo unum Dominum Iesum, non negauit Patrem esse Dominum; sic dicendo Patrem unum Deum, non negauit Christum esse Deum.

61. Nec tamen propterea duo vel tres Dij sunt essentiales, licet Pater sit verus Deus, Filius verus Deus, & Spiritus S. verus Deus.

62. DEI enim vocabulum dupliciter in Scripturis sumitur: Absolutè interdum seu ὁ θεός, quando ipsam diuinitatis essentiam, complectitur; Aliás relatè seu υποστάτης, differentiam Personalem in diuinitate significans, ut I. Tim. 3. v. 16. Deus manifestatus est in carne.

63. Quo posteriore significatu sumitur, quoties Deus de Deo loquitur, seu Deus apud Deum esse dicitur, sicut hoc cap. I. Ioh. v. 1. & alibi.

64. Falsâ igitur hæreticorum assumptione discussâ, alterum conclusionis membrum nunc applicabimus. Λόγος Deus est, aut uniuocè aut æquiuocè. At qui non æquiuocè, sicut ex precedentibus patet, Ergo uniuocè. Id quod probandum est ulterius, & quidem primò ex textus circumstantijs.

65. Quicunq; ita Deus est, ut ab eterno apud Patrem fuerit, quiq; vita est & creator omnium; is uniuocè Deus est, non æquiuocè.

Atqui Λόγος talis est Deus, Ergo &c.

66. Iam ex alijs Scripturæ locis, institutum nostrum sic urgemus.

Qui est & dicitur Iehoua, verus Deus Israëlis, Filius Dei viui, Filius à Patre unigenitus, filius Dei proprius, cuius prius

prius pater est Deus; is homopurus esse nequit, sed uniuocè verus naturā & vīosāca Deus est.

Atqui Christus Λόγος

Iehoua est & dicitur 1. Corinth. 10. v. 9. ex Num. 14. v. 22. & cap. 21. v. 5. 6. Ioh. 12. v. 41. Ex Esai. 6. v. 1. 3. & 5. Luc. 2. v. 34. & 1. Pet. 2. v. 7. Ex Esai. 8. v. 13. & 14. Philip. 2. v. 10. Ex Esai. 45. v. 23. Quibus in locis quod Prophetæ de vero pronunciauerunt Iehoua, id Apostoli & Euangelistæ expressè ad Christum retulerunt; sicut collatio locorum luculenter monstrat.

DEVS est & dicitur, & quidem verus, 1. Ioh. 1. v. 20. Deus benedictus in secula, Rom. 9. Deus Israëlis Malach. 3. v. 1. Zach. 12. v. 10. Esai. 41. v. 4. Psal. 97. v. 7. Vbi, quæ de vero Deo Israëlis dicuntur, Apostoli & Euangelistæ de Christo pronunciauerunt, Luc. 1. v. 76. Ioh. 19. v. 37. Apoc. 1. v. 17. Heb. 1. v. 6. Et notandum; quòd ne ipsi quidem Samosateniani ac Seruetiani negare audeant, per Deum Israëlis non nisi verum Deum intelligi.

FILIVS Dei est & dicitur, non ut credentes per vno deo iuxta seu adoptionem, sed talis, qui est adorandus & osculandus ab omnibus; potestatem habens in se sperantes saluandi, Psal. 2. v. 7. & vlt. Vnigenitus Patris Ioh. 3. v. 16. & 1. v. 14. Filius Dei proprius, Rom. 8. v. 32. Aequalis Patri Philip. 2. v. 6. Et Ioh. 5. v. 18. Vbis sic legimus: Propter hoc ergo magis quærebant eum Iudei interficere, quòd Patrem proprium dicebat Deum, aequalē seipsum faciens Deo.

Ergo naturā seu essentiā verus Deus sit necesse est, non nudus homo, qui hisce insigniatur nominibus propter finitam aliquam communicatam potentiam vel sanctificationem & officij dignitatem.

III. Argu-

III. Argumentum, à creatione ex v. 3. & 10. Omnia per ipsum facta sunt,
& sine eo factum est nihil, quod factum est. Mundus per eum factus est.

67. Αξιόλογον est Scripturæ pronunciatum; Solius veri Dei
esse creationem cœli & terræ, omniumq; creaturarum, Esai. 44.
v. 24. pereant Diij, qui non fecerunt cœlum & terram,
Ierem. 10. v. II.

68. Iam autem Christo Λόγῳ hoc solius veri Dei opus multis
Scripturæ locis adscribitur, ut hoc in loco, Ioh. 1. v. 3. & 10.
Coloss. 1. v. 16. Heb. 1. v. 2. Vbi Christo attribuitur, quod Da-
vid Psal. 102. v. 26. de vero Deo Israelis tanquam omnium
creatore dixerat.

69. Et hoc est argumentum illud, in quo destruendo coniun-
ctis desudant viribus omnes ferè Antitrinitarij χριστομάχοι;
plurimū triumphantes distinctione quadam, Inter creatio-
nem primam seu externam, & secundam, internam, quæ dici-
tur reparatio, renouatio seu recreatio.

70. Illam solius veri Dei propriam esse aiunt: nec Christo si-
ne iniuriā adscribi posse, qui se nunquam creatorem talem ap-
pellarit; cuiusq; in creationis historia à Moze nulla fiat mentio.

71. Hanc verò tantum attribui Christo, 2. Corinth. 5. v. 17.
Ephes. 1. v. 10. Coloss. 1. v. 20. Act. 3. v. 21. eamq; omnibus
illis locis intelligendam, ubi creâsse aliquid Christus dicitur.

72. Bona quidem hæc est distinctio; in applicatione autem
vafridiem habet, non veritatem.

73. I. A particulari est argumentatio. Non enim sequitur,
isto in loco creatio, quæ Christo tribuitur, pro renouatione su-
mitur: Ergo & hoc in loco.

74. II. Manifestum est ex verbis Ioh. & Pauli Coloss. 1. Ser-
monem illis esse de creatione prima externa. Omnia enim, inquit
Paulus, per ipsum creata sunt, quæ in cœlis sunt & quæ in terra,
visibi-

visibilia & inuisibilia. Omnia autem ista nunquam sunt recreata; & quidem Angeli boni recreatione eiusmodi spirituali non habuerunt opus.

75. III. Pugnat cum scopo Apostoli Pauli. Vult enim probare, Λόγος fuisse ante omnes creaturas, quia in ipso sint omnia condita.

76. IV. Non sequitur; Λόγος est reparator, Ergo Creator. Quin potius ut renouatio, tanquam opus Trinitatis ad extra, communis est trium personarum diuinitatis; ita & creatio.

77. V. Ut maximè locis illis, (quod tamen non concedimus) aliqua intelligenda esset reparatio; illa tamen æquè verè opus diuinum est ac ipsa Creatio. Quod Augustinus quoque agnouit scribens: Non minoris potentiae erat recreare hominem quam creare. Et Iustinus: Eiusdem (Λόγος Filius Dei) erat αὐτὸς λαος, cuius fuerat πλαστις; Eiusdem erat αὐτοῦ λαος, cuius fuerat πλαστη, inquit Athanasius.

78. VI. Et quomodo Mundus non cognouit Λόγον, v. 10. Si per eum mundus est factus h. e. renouatus? Cùm verare nouatio saluifica cognitione nunquam destituta sit?

79. VII. Locum 2. Cor. 5. quod attinet, non negamus eum de spirituali creatione seu renouatione debere accipi, sicut συνάφα seu coherentia textus illius satis indicat. Hic verò circumstantiae verborum requirunt aliud.

80. VIII. Præterea falsum est, Λόγος tanquam creatoris in V. T. nullam mentionem fieri. Quid enim aliud volunt Moses Genes. i. & David Psal. 33. cùm dicunt; Deum dicendo seu Verbo creasse omnia?

81. Quid? quod ipse Λόγος filius Dei in V. T. se creatorem appellavit, Esai. 43. v. 1. 3. & 24. Ego Iehovah Deus tuus, Creator tuus, Saluator tuus, &c. Seruire me fecisti in peccatis tuis; que certè de Deo Patre nequeunt intelligi.

82. Qua

82. Qua de causa infirmitatem argumenti huius animaduertentes Ariani, effugium quæsiuere aliud: posse nimirum Λόγος primam etiam adscribi creationem, non autem principaliter sed instrumentaliter; idq; Iohannem innuere vocabulo per, Διὸς; omnia per ipsum facta sunt.

83. Quod tamen argumentum verè etiam ficulneum est. Quomodo enim Λόγος, qui Arianis creatura est, in consortium creationis, operis solius Dei proprij, recipietur?

84. Atqui, quæcunq; facit Pater, hæc Filius similiter facit, Ioh. 5. v. 19. Hinc Apoc. 1. v. 8. A & Ω dicitur, principium & finis. Quid n̄ igitur & omnium princeps causa?

85. Etsi verò nonnulli ita distinguant, ut præpositionem E X notam Dei Patris constituant, PER notam Filij, IN verò notam Spiritus Sancti.

86. Attamen ne isthæc fidei nostræ obesse possent, Scriptura promiscuè vocabulis illis utitur. Patri enim tribuit particulam, Per quem I. Cor. 1. v. 9. Fidelis Deus, per quem vocati estis. De Filio & S. S. ponit Ex quo, vt, Ioh. 1. v. 16. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus. Cap. 16. Spiritus veritatis ex meo accipiet. Matth. 1. v. 20., quod in ea genitum, è Spiritu S. est. Ioh. 3. quod natum est ex Spiritu &c. De eodem usurpatur PER I. Cor. 2. Nobis Deus reuelauit per Spiritum suum.

87. Diciturq; Pater PER Filium creare omnia, Scripturâ interprete, quòd ipse sit virtus & sapientia Patris, I. Corinth. 1. v. 24.

IV. Argumentum ex v. 4 & 9. In ipso vita erat & vita erat Lux hominum. Erat Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem, &c.

88. Λόγος est ipsa vita, & quidem æterna I. Ioh. 5. v. 20. Et quemadmodum Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio dedit vitam habere in semetipso. Et sicut Pater suscitat mortuos

C tuos

tuos, ita & filius, Ioh. 5. v. 21. 26. Omnia in ipso constant Coloss. 1. v. 17. Ipse est Saluator noster Tit. 2. v. 13. extra quem non est salus, Act. 4. v. 12. Ipse est lux vera, quae illuminat omnem hominem, Ioh. 3. v. 9.

89. Hæc autem quia solius veri Dei attributa sunt; nemo pius negabit, Λόγος esse verum Deum.

90. Vnde quoq; intelligimus, quomodo accipiendum sit, quod v. 4. dicitur: In Λόγω erat vita: Non certè sicut in nobis vel creaturis alijs vita est, quæ tota à Deo dependet; quo subtrahente spiritum, ne ad momentum possumus subsistere, Act. 17. v. 28. Sed potius summo & perfectissimo gradu, ut nimirūm sit ipsa vita essentialiter, vita æterna, ipsa lux vera &c.

91. Non tamen absolute & essentialiter sibi ipsi tantum lux est & vita, sed relatè etiam respectu hominum, quos illuminat & viuiscat. Est enim summum perfectissimumq; bonum, ideoq; sui ipsius communicatiuum.

92. Hinc Chrysostomus: Quemadmodum in fonte, qui generat abyssos, & in nullo minoratur fons: Ita in Christo vita est omnium, quia cùm omnia viuere faciat, non tamen minus ille vita est, omniumq; rerum vitam ex seipso, ut perenni fonte, diffundit.

93. Licet autem Apostoli omnesq; fideles Christi ministri luminaria sint, et Saluatores suorum auditorum, Matt. 5. v. 14. 1. Timoth. 4. v. 16. Diuersissima tamen de causa illis hoc attribuitur, adeò ut in collatione cum Christo Iohannes Baptista lux esse negetur, sed qui testimonium perhibeat de lumine. Hinc Christus Heb. 1. v. 3. ita Saluator noster dicitur, ut purgationem peccatorum per semetipsum fecerit: quod de homine alio, quamvis sanctissimo, dicere nefas est.

94. Corruit igitur sua sponte Samosatenorum expositio;
”Christum Λόγον vitam & lucem dici effectu tantum; item di-
uinam

uinam quidem esse, sed communicatione duntaxat operatio-
num, non essentiae.

95. Plura veri Dei attributa passim Scriptura Christo tri-
buit, ut omniscientiam, Iohann. 21. v. 17. Coloss. 2. v. 3. Omni-
præsentiam, Matth. 28. v. 20. Cultum adorationis, Psal. 97. v. 7.
Heb. 1. v. 6. 1. Cor. 1. v. 2. Philip. 2. v. 10. Act. 7. v. 59.

96. Ex quibus omnibus firmissime aeterna eius adstruitur
Deitas. Sed hæc primoribus saltem attigisse labris, erit fortasse
sufficiens.

V. Argumentum ex v. 14. Verbum caro factum est.

97. Hic alias est aries, quo p̄ij Ecclesiæ Dd. deliria Samosa-
tenorum quoniam tempore concusserunt fortiter.

98. Principium enim cum esset olim Samosateni ac postea
Serueti; Λόγος hic significare non personam vel naturam sub-
sistenter, sed Ideam quandam & propositum Patris, quod non
aliter ab οὐσίᾳ eius differat, quam bonitas, sapientia &c. Secun-
dum quod omnia considerit, secundum quod etiam Christus ex
Virgine natus sit; & quod ideo Iohannes Euangelium sic exor-
sus sit, ut doceret, illud non esse humanum invenit, sed ater-
num hoc fuisse Dei propositum, mittere eiusmodi Messiam ac Do-
ctorem, qui voluntatem suam nobis annunciat.

99. Facile ista dissoluebantur ab orthodoxis Patribus ex ipso
Iohannis contextu, clarissimamq; eius cohærentia. Nam cum plu-
ribus attributis Λόγος illum descripsisset; tandem de eo inquit:
Et Λόγος caro factus est. Non ait; Christus natus est secun-
dum Λόγον seu Ideam aliquam ac propositum Patris; sed ipse ille
Λόγος caro factus est.

100. Sin vero Λόγος tanquam Idea Patris fuit ipse Pater;
quero, quomodo caro factus sit, cum Deum Patrem incarnatum
dicere, vel ipsis Samosatenicis sit religio?

101. Si item Cogitatio est seu Idea Patris, quæ ab essentia Patris realiter non distinguatur; quomodo quæso Pater Λόγος hunc suum Idealem Christo tempore prædicati Euangeliū dicitur inspirasse, quò miracula in ipso, sicut & in alijs sanctis, quamuis excellentiori modo, operaretur? Quomodo Verbum venisse, & in Iesu homine inhabitasse dicitur? Nam & hoc Samosatenum docuisse olim, annotatum legimus.

102. Horum claritatem cùm moderni viderent Samosatenici, vnguemq;, quod dicitur, in ulcere persentiscerent; leniori viā patrocinium Patriarcharum suorum suscepérunt, sequentibus principijs.

„ 103. I. Λόγος ante incarnationem non nisi idealiter in mente Dei extitisse. II. Per Λόγον autem apud Iohannem Personam posse intelligi, ipsum videlicet Christum, qui sit communis homo, unâ naturâ, humanâ, constans: cui tamen communicata sit diuinitas, cuius gratiâ edere posset miracula, mandataq; Patris rectè proloqui; ideoq; Λόγος à Iohanne fuisse appellatum.

104. Hisce innixi principijs, duplē verborum illorum: Verbum caro factum est: extruxerunt expositionem.

„ 105. I. Verbum, h. e. Christus; Caro, h. e. homo abiectus & vilis; Factum est, h. e. erat. Carnis enim vocabulum sàpè in Scripturis significare hominem abiectum; vocem verò ἐγένετο sàpissimè per erat vel fuit explicari.

„ 106. II. Retento verbo, Factum est, sic exponunt: Verbum, h. e. Christus; cùm esset primarius Doctor & Deus, qui multa ederet miracula; factum tamen est caro, h. e. homo vilis, imò maledictum pro nobis; habitavit nobiscum; Et licet mundi humanis hominibus contemptus fuerit, nos tamen (Apostoli) vidi mus gloriam eius in omni diuinarum virtutum genere.

107. Quæ certè misera est loci huius clarissimi carnificina; quam tamen Scripturâ fundatam esse clamitant. Sed ut, qui putres

putres parietes albo illinunt tectorio; ita illi adumbratā quadam
veritatis similitudine, pingunt mendacum: sicut eleganter
scribit Chrysost. homil. 67. in Matth.

108. Probent enim Λόγος significare Christum, ut nudum
hominem; probent in Christo unicam tantum naturam esse.

109. Nos verò satis superq; demonstrauimus, significare na-
turam diuinam verè subsistentem, quæ reuera Deus sit. Nam
qui Deus est & quidem ab aeterno, qui creauit omnia, qui est ipsa
vita &c. is homo nudus esse nequit. Atqui Christus, quâ Λόγος,
Deus est, aeternus, qui creauit omnia &c. sicut supra probatum;
Ergo &c.

110. Rursum; Si Λόγος ab aeterno ut diuina natura verè
subsistens extitit, quod similiter suprà probauimus; utiq; homo
abiectus vel maledictum pro nobis fieri non potuit, homoprius-
quam fieret. Subiectum namq; requirunt accidentia.

111. Propterea propriissimus verborum illorum sensus est,
quod Λόγος ille, qui ab aeterno apud Patrem fuit, unigenitus Pa-
tris, Deus verus de Deo vero, sub plenitudinem temporis car-
nem assumperit & homo factus sit perfectus, animâ & corpore
constans. Id enim Caro Hebrao Idiomate significat.

112. Tametsi verò non negemus, Christum in diebus infir-
mitatum carnis fuisse hominem vilem & abiectum, instar ver-
mis, Psal. 21. v. 7. imò factum etiam pro nobis maledictum
Gal. 3. v. 13. hæc tamen non est loci huius principalis intentio.

113. Certum enim est, carnis vocabulum de homine sumtum,
in Scriptura V. & N. Testamenti principaliter significare sub-
stantiam, seu Personam corpore & anima constantem: deinde
etiam connotare qualitates, quæ subiecto illi insunt.

114. Eadem est ratio verbi græci ἐγένετο, quod in prædicto
loco Iohannis propriè notat factum esse; Esse autem deinde
connotat. Quod enim factum est, illud esse necessum est, nisi
statim post γένησιν perierit.

115. Ideò accuratè Iohannem distinxisse videmus inter vocabulum ἡμ̄, quo simplex ESSE Dei Verbi seu Λόγος notatur. Et, inter ἐγένετο, quo Verbum aliquid factum esse, quod priùs non erat, significatur.

116. Horum igitur iniuncta cùm sit Veritas, hæreticorum strophas planè destruens; ad calumnias se conuertunt, quòd sc. duplē fabricemus Christum, quorum unus sit aeternus, immortalis, Patri æqualis, &c. alter temporalis, mortalis, patre-que inferior.

117. Atqui piè & constanter credimus ac confitemur; Duas naturas in Christo, diuinam & humanam, ineffabili Vnione ita uniri, ut humana nequaquam peculiarem Personam vel Christum constituat, sed quòd in ipsam τὸν λόγον seu Filij Dei ὑπόσαση assumpta, una cum illo sit Persona, unus Christus, perfectus Deus, sineq[ue] peccato perfectus homo.

118. Vbi nec conuersionem aliquam vel transubstantiationem summo huic incarnationis τὸν λόγον mysterio affingimus, sed cum Athanasio dicimus: Λόγος carnem factum non conuersione Deitatis in humanitatem, sed assumptione humanitatis in Deum. Cum Athanasio iterum, Damasceno, Patribusq[ue] 636. Chalced. Concilijs, duas illas in uno Christo naturas, α&συγχύτως, α&τρέπτως, α&χωρίτως, α&διαμερίτως καὶ α&διασάτως, incōfusè, incōuertibiliter, inseparabiliter, indiuise & indistanter agnoscimus, unitas, nec tamen α&νοινωνήτως καντάσαις, οὐκ ε&ντλας, h.e. que nullam prorsus inter se communicationem habeant.

119. Et hoc ipsum est adorandum illud pietatis mysterium, de quo Apostolus loquitur, 1. Timoth. 3. v. 16. quòd Deus in carne manifestatus est.

120. Cuius operis ac mysterij finis erat sanè maximus. Talem enim Personam, quæ δεῖν πεπόνθεται esset, opus redemptionis nostræ requirebat. Sicut eleganter illud Augustinus exprimit

Serm.

Serm. 33. de temp. Tali auxilio, inquit, indigebat natura nostra
& causa, ut reparare genus humanum nec sine maiestate posset
humilitas, nec sine humilitate maiestas.

121. Et quidem ab illa Persona, in cuius unitatem & nouam
assumpta est caro ista, omnis dependet pretij pro peccatis no-
stris sufficientia.

122. Verum de Vnione ista duarum naturarum in Christo
eiusq; fructu, differendi locuserit alius.

123. Hactenus igitur eternam τε λόγος Filij Dei adstruxi-
mus diuinitatem: quantumque in mysterijs hisce fieri potest,
à Samosatenianorum nec non Arianorum corruptelis, diuinissi-
mam Iohannis Euangelistæ doctrinam vindicauimus.

VNI DEO Patri; Vni Domino, filio sempiterno; vni Spi-
ritui sancto, sit gloria, laus & honor in perpetuum.

PIETATE, DOCTRINA, ET
VIRTUTE PRESTANTISSIMO,
D N. M. IOANNI VIETORI,
amico suo exoptatissimo.

Anagramma:

M. IOANNES VIETOR.

O R E , A N I M O , E T N I S V .

Tot fidei species iam sunt, quot in orbe figuræ,
Velle suum cuiq; est, est sua cuiq; fides.

Non tamen illa fides, superas quæ ducit adoras,

Indubium pandit quæq; salutis iter.

Nam Deus unus vt est, vt & vna Ecclesia, vt unus

Baptismus: sic est unica vera fides.

Unica vera fides primæ ui ab origine mundi,

Semper, heri, ac hodie, quæ fuit, est, & erit.

Quæ fuit, est, & erit via regia: dextra Charybdis

Hic via, mox illic Scylla sinistra via.

Tu

Tu medio incedis, Vietor doctissime, gressu,
 Ad Verbi normam iudiciumq; sacri:
 Quamq; tibi monstrat sanctissimus ille IOANNES
 IOHANNI: haec vna est, haec via recta tibi.
 Hanc ORE, hanc ANIMO, ET NISV dexterimus omni
 Saluificam sequeris, quæ patet vna, viam.
 Egregios animi cornu fers diuite fructus
 Publicaq; ingenij das documenta tui.
 Quid dico? ORE, ANIMO, ET NISV dexterimus omni
 Miles es, in castris intrepidusq; sacris:
 Iudice me, magnum est, animi præcellere donis
 Theologum, magnum est, ore fauente loqui:
 Maius at: ORE, ANIMO, ET NISV feliciter omni
 Versari in castris, Theologia, tuis.
 Macte animo, VIETOR, Iuuenis præclare, Ioannis
 Rebus digne Ducis, nomine digne tui:
 Et Verbo Domini, sacrisq; innitere rebus,
 Hassiaci quondam magna columna soli.

Am. & mem. e. fecit

*M. Ioh. Erhard. Cellius, Rector
Contub. Tub.*

F I N I S.

ad 6

99 A 6906



5A

6

VD17

Reb ①

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

